

ducere tenebitur, aut alterutram pro arbitrio eligere poterit : hæc decisio est contra *Pontas*, qui verbo, *Empêchement d'impuissance, cas 15*, dicit Gertrudem tunc retinendam esse, nec licere viro ad Paulam reverti. In utroque autem casu matrimonium per iterationem consensûs de novo celebrandum esset.

Cæterùm, cùm matrimonia nunc civiliter separari non possint ob tale impedimentum, frustra exponeremus alias quæstiones circa eamdem materiam olim inter doctores agitatas.

*Quæritur 11°* quid, elapso triennio et adhuc perseverante impotentia, determinandum sit.

R. Olim, in foro externo, partibus de novo appellatis et auditis, ac imperatâ, si jam facta non fuerat, corporum inspectione per idoneas personas, vel impotentia certò judicabatur perpetua, et statim matrimonium declarabatur nullum; vel dubium adhuc existebat, et nihilo minus matrimonium dissolvebatur, ne pars impotentia expers diutius et fortè in æternum expectare cogetur. Ità *Sanchez* et multi apud ipsum, *l. 7, disp. 94, n° 12*. Ratio est, quia si impotentia reipsâ non fuisset perpetua, Ecclesia, suâ auctoritate matrimonium dirimebat, constituendo talem circumstantiam ut impedimentum dirimens.

In utrâque hypothesis licentia concedebatur sponso potenti ad alias nuptias transeundi: impotenti verò novæ nuptiæ prohibebantur, nisi constaret impotentiam ejus ex naturâ suâ non esse absolutam.

Nunc autem, cùm de foro interno tantùm

pro nobis agatur, ubi certò constat impotentiam esse perpetuam, exigendum est à sponsis ut tanquàm fratrem et sororem se invicem habeant, proindèque ut separentur quoad torum, et ab omni licentiâ solutis interdictâ abstineant: sic caput 5, *tit. 15, lib. 4, Decretal.* Si verò ità secum habitare nequeant sine proximo peccandi periculo, mutuam societatem solvere debent de facto, sin de jure, etiam cum proprio incommodo et aliorum scandalo, postquàm omnia frustra tentaverunt media servandi castitatem.

*Quæritur 12°* an sponsi, impotentia perpetuâ detenti, matrimonii nullitatem ignorantes, et post triennium illius consummationem tentantes, in bonâ fide relinqui possint.

R. Si constaret eos in bonâ fide versari et admonitos non emendandos esse, fortè liceret illos in ignorantia relinquere, quia tunc minus malum, videlicet peccatum materiale, permetteretur, ad vitandum majus, nempe peccatum formale. Improbabile videtur sponso bonâ fide semper arbitrari sibi licitum esse tentare actum quem nunquàm perficiunt, nec perficere possunt. Verùm fieri potest ut ignorantia excusentur, si non à toto, saltem à tanto, id est à mortali. Quapropter, judicamus eos ordinariè admonendos esse et à peccato avertendos; sed communiter prudentius est non eis aperire gravitatem peccati.

*Quæritur 13°* quid agendum, si, matrimonio ob impotentiam dissoluto, conjux qui judicatus fuerat impotens, deprehendatur potens.

R. Si impotentia sublata fuerit per medium illicitum, supernaturale aut graviter periculosum, impedimentum erat perpetuum, ac proinde matrimonium rectè fuit dissolutum.

Si verò impotentia viis naturalibus cessaverit, duplex est canonistarum sententia; prior est Gallicanorum, qui contendunt partem ob impotentiam alterius separatam, ad eam etiam probantem se esse potentem redire nunquam teneri: 1° quia si de viro agatur, ut communiter, difficile est probare illum factum fuisse potentem: fieri namque potest ut non sit pater liberorum quos æstimat suos; 2° quia Ecclesia Gallicana efficere potuit ut talis impotentia, licèt non perpetua, matrimonium jure positivo dirimeret; 3° quia præsumitur impotentiam fuisse tantum respectivam.

Posterior sententia est extraneorum, qui multò communiùs, post S. Thoman, *suppl.*, q. 58, art. 1, docent conjugem auctoritate officialis vel episcopi separatam et secundis nuptiis jam implicatam, ad priorem conjugem factum potentem redire teneri; idque Innocentius III et Honorius III statuerunt, ut refertur *Decretal.*, l. 4, tit. 15, cap. 5 et 6.

Si casus hujus generis occurreret in praxi, quod nunc ferè impossibile est apud nos, res deferenda esset episcopo.

*Quæritur* 14° quid sentiendum sit de matrimoniis impuberum.

R. Matrimonia impuberum jure ecclesiastico sunt nulla, et valent tantum ut sponsalia. *Decretal.*, l. 4, tit. 2, cap. 12. Hoc sapientissimè

fuit institutum, ne plena deliberatio, ad contractum tanti momenti requisita, in multis deesset.

Tres tamen excipiuntur casus in quibus matrimonia impuberum reputarentur valida, scilicet:

1° Si malitia suppleret ætatem, id est, si vir per actus repetitos factus esset capax consummandi actum conjugalem ante pubertatem, quod fieri posse probat S. Hieronymus exemplo regis Achaz, qui anno ætatis suæ undecimo genuit Ezechiam, ut ex quarto libro Regum, c. 16, 2, et *cap.* 18, 2, colligitur, vel si mulier duodecim annos nondum nata jam concepisset.

2° Si conjuges, adeptà pubertate, in matrimonio antea contracto maneant, jam separari non possunt; nam in illud de novo consensisse judicantur. *Decretal.*, l. 4, tit. 2, cap. 10 et tit. 19, c. 4.

3° Principes et principissæ pro bono pacis antè pubertatem validè matrimonio conjungi possunt: volunt nihilominus doctores necessariam esse dispensationem summi Pontificis, vel saltem episcopi dioecesani. Hanc postremam sufficientem esse asserunt *Navarrus*, *Coll. Andeg.*, *Collet*, etc.

Vide quod diximus in tractatu *de Matrimonio*, circa ætatem ad contrahendum requisitam.

*Quæritur* 15° quid sentiendum sit de matrimonio hermaphroditorum.

R. Hermaphroditi, à duobus verbis græcis, HERMÈS (*Mercurius*) et APHRODITE (*Venus*), sic dicti, quia Hermaphrodites, Mercurii et Veneris

filius, utriusque erat sexus. Dicuntur etiam *Androgyni*, id est, simul viri et mulieres.

Si fides adhibeatur viris in historiâ naturali valdè peritis, nulli unquam exstiterè hermaphroditum propriè dicti, qui organa utriusque sexus ità habuerint ut generare potuerint sicut viri et concipere tanquàm mulieres. Ordinariè nihil aliud sunt quàm monstra quæ nec generare, nec concipere, nec matrimonium consummare possunt. Manifestum est in isto casu eos matrimonium validè contrahere non posse; ac proindè parochum qui incapacitatem eorum certò novit, tali matrimonio obsistere teneri.

Si verò alteruter sexus sic in eis prævaleat, ut matrimonium consummare possint, eâ tantùm conditione ad nuptias admitti debent, quòd sexu prævalente duntaxat usuri sint, idque promittant.

Notandum est eos neque ordinationis neque professionis religiosæ esse capaces, quamdiù sexus eorum est dubius. Ità expressè *Sanchez* et multi apud ipsum, *l. 7, disp. 106, n° 10.*

---

#### QUESTIO SECUNDA.

##### *De debito conjugali.*

Hanc secundam quæstionem in tria dividemus capita; 1<sup>um</sup> erit de petitione et redditione debiti; 2<sup>um</sup> de usu conjugii, et 3<sup>um</sup> de agendi ratione confessarii erga conjugatos.

---

### CAPUT PRIMUM.

#### DE PETITIONE ET REDDITIONE DEBITI.

Certum est conjuges strictissimè obligari fidem conjugalem sibi mutuò servare: eam quippè sibi solemniter promittunt coram sacerdote eos in nomine Dei, cujus est minister, interrogante, eisque benedicente. Aliundè, ex ipsâ matrimonii institutione, vir et mulier sunt duo in carne unâ; unus ergo cum aliâ carne commisceri non potest, quin gravem injuriam comparti suæ inferat. Undè quilibet actus venereus cum alienâ personâ, vel circa alienam personam exercitus, ut copula, tactus, oscula, vel hujusmodi actuum desideria, aut voluntaria in illis complacentia, duplicem habet malitiam in confessione declarandam; unam contra castitatem, alteram verò contra justitiam. Idem dicendum est de mollitiè, quæ suo modo fidei promissæ adversatur, ut potè abusus corporis cujus altera pars dominium, in ordine ad actus venereos, acquisivit.

His notatis, dividemus præsens caput in tres articulos: in 1<sup>o</sup> dicemus de actu conjugali in se spectato; in 2<sup>o</sup> de petitione debiti, et in 3<sup>o</sup> de redditione debiti.

#### ARTICULUS PRIMUS.

##### *De actu conjugali in se spectato.*

Probavimus in tractatu *de Matrimonio, t. 4,*